

Q.K.  
375,  
20.

X 1903682

II n  
6027

Q. B. F. F. Q. S.  
DE  
**FATIS SICILIAE**  
IN  
GYMNASIO MERSEBURGENSI  
*XXIX. MAI. AB HORA II. POST MERIDIEM*  
DECLAMABITVR.  
AD BENEVOLAM AVSCVLATIONEM  
INVITAT  
OBSERVANTER ET OFFICIOSE  
**CHRISTOPHORVS CELLARIVS,**  
RECTOR.

---

LITTERIS GOTTSCHICKIANIS.



74 7





Ala non continenter nocent: meliorum interuentu pensantur, & damnis beneficia interspersa sunt. Sursum, deorsum feruntur res, nec quidquam tam constans mortalibus est, quam omnium vicissitudo. Hoc ex æquo fieri dicemus, an alterutrum prævalere? vulgus plura mala numerat: qui recte perspiciunt, maiorem vim bonorum censent, non quod vitia decrescant, quæ erunt, donec homines; sed quod, ingenti bonitatis argumento, beneficia Dei, quam pœnæ, crebriora sunt. At vbique de damnis querelas audimus. Audimus, & sapius quidem, quam laudes beneficiorum, quod peruerso hominum ingenio & supinæ negligentiae imputamus. Secundam valetudinem quis æstimat? aduersam omnes metiuntur, dies, noctes, horas computant, quum tot annos prosperæ sine numero, sine æstimatione prætermittunt. Belli calamitates, annonæ grauitatem, rerum aliarum inopiam quis est, qui non queratur? & qui ea patiuntur, omnino miseri & calamitosi sunt: at si oculos circumferimus, plures inuenimus, a quibus propitium fatum tanta mala adhuc avertit, & quod speramus, in posterum quoque avertet, nisi ipsi mortales tanti muneris obliuione malum sibi adducturi sunt. Videmus multis libertatem eripi, vrbes funditus excindi, & mo-

momento in cinerem redigi, quod longa ætas constitue-  
rat. Videmus, inquam, hæc omnia, miseremur, time-  
mus, atque ita, quod officium humanum est, facimus, sed  
non integre facimus, nisi etiam numeremus, quot vrbes  
intactæ stent, quot agri floreat & messem meditentur,  
quot homines innumeri sine cæde, sine fame, intra suos  
quisque lares tranquille agant: nisi ergo & hæc expen-  
demus, Deoque auctori illorum & conseruatori gratias  
agemus, erit certe pars magna officii nostri, quam quiuis  
gratus diuinorum munerum æstimator desiderare in no-  
bis possit. Nec est, quod desperemus, futurum aliquando  
esse, vt erigat Deus atque confirmet, quæ nunc belli im-  
petu perculsa & prostrata iacent. Non desunt urbium ex-  
empla, quæ ab excidio splendidiores resurrexerint: mul-  
tas etiam ruina sempiterna oppressit, vt monumenta mor-  
talibus sint, vnde fragilitatem cognoscant, neque se teme-  
re fortunæ permittant. Vereri omnes vim fatorum decet,  
nec vero spem benignitatis Dei abiicere, præsertim quod  
inter mala etiam, vel iuxta ea, bonorum copia emergit,  
quæ signum nobis ad bene sperandum sustollunt, & ad  
laudes tam benefici Numinis identidem hortantur. Hoc  
nostris, de fato Siciliae declamaturis, iniungimus, vt nolint  
in querelis & lamentationibus consistere, quas status in-  
sulæ miserrimus deposcit; sed quoquouerfus circumspi-  
ciant, & ex seruatis plurimis (in quibus & nostra patria  
inest, ac vtinam semper intersit) laudis diuinæ materiam,  
amplissimam sane & copiosissimam, decerpant. Hoc instar  
victimæ opimæ est, quæ, Filio auspice & paratore, propi-  
tium nobis Deum reddit, vt mala huius generis auerrun-  
cet, & beneficiis suis superaddat perpetuitatem. Quamuis  
vero animos omnium eo vsque aduerti velim: non tamen

id mihi constitutum fuit, vt Siciliae calamitates minus deplorandas esse existimem, quas vtiq̄ue, vt grauissimas, & aliis etiam gentibus praenuntias, nisi pietate praeruerint, omnibus intuendas esse censeo. Quarum causas & exempla nunc breuiter, quantum chartae admittit angustia, perscrutari & excutere nobis liceat. Rector custosque vniuersi Deus omnia regna, respublicas, vrbes, regiones suo arbitrio gubernat, extollit, subuertit, nec vtriuslibet fortunae causam certiore inuenire licet, quam iustam, eandemque sanctissimam voluntatem Dei. Nulla vrbs vsquam, nisi volente illo propitioque, floret. Quas nationes funditus excindi, quas terras labefactari aut motu subsidere, aut aquis absorberi videmus, quae ruant vrbes qui agri tremant, qui persistent immoti, illius iurisdictio est. Hic potest, quum voluerit, sine administris causis agere: saepius tamen, aut plerumque, per naturam agit, atque ordinem, a se statutum, ipse sequitur. Hunc ergo indagare non prohibitum mortalibus est, neque qui indagat, pietatis limitem excedit, etsi longius interdum, vt solent homines, aberret. Quosdam ita peritos diuinandi fuisse, vt terrae motus praedicere poterint, a multis fide non indignis, traditum est. Cicero lib. I. de diuinatione cap. L. & ex eo Plinius lib. II cap. LXXIX. referunt, Anaximandrum Milefium Lacedaemonios, vt urbem relinquerent, monuisse, quod terrae motus instaret, idque euentum adprobasse, quum & vrbs tota corruisset, & auulsa Taygeti montis pars ruinam ac cladem cumulasset. Perhibetur & Pherecydes, Pythagorae magister, haustu aquae e puteo terrae motum praesensisse. Ex quibus hi signis hariolati sint, quum non vna motus causa adferatur, perdifficile ad coniectandum est. Causam  
fam

iam enim, qua terra concutitur, alii in aqua esse, alii in ignibus, alii in spiritu putauerunt. Aquam aliquid conferre, non tam ex veteri opinione, terram humore portari & innatare, vt Thales Milesius credidit; quam exinde videtur comprobari, quod maritima crebrius, quam mediterranea concutiantur. Documento sint Campania, Apulia, Dalmatia, Bithynia, & ipsa, cuius causa scribimus, infelix insula Sicilia, quarum regionum tremores Ciceroni, Liuiio, Tacito aliisque sunt obseruatae. Pronum ad fidem argumentum esset, si haec solae partes quassarentur. Plinius quidem di&to libro, cap. LXXX eodem sensu tradit, MARITIMA MAXIME QUATIUNTUR, sed addit idem: NEC MONTVOSA TALI MOTV CARENT. EXPLORATVM EST MIHI, ALPES APENNINVMQVE SAEPIVS TREMVISSE. Id quod etiam nostrorum temporum, ac proximorum, historiae confirmant. Nondum annus circumactus est, quum ex Foro Iulii adlatus nuntius fuit, in Carniolae finibus montem, cui nomen Crato Nero est succussu terrae abruptum, texisse quidquid subiectum erat & flumen mole obstruxisse, vt per quatuor milliaria restagnaret. Perfimilem montis casum ex terrae motu in Alpina regione, Coelius Secundus Curio lib. II Supplementorum Historiae Sabellici narrat, quum Leo X pontificatum teneret, accidisse. Ad radices, inquit, Alpium, qua itur in Heluetios, supra Bellizonam, praetaltus mons, terrae motu concussus, ingenti fragore edito corruit, totaque ea conuulsarum rupium moles in laevam prolapsa fauces conuallis, per quam Brennio amnis decurrens Ticino miscebatur, obstruxit. Quo casu stagnare amnis, & nequaquam tanta obice vi vndarum praerupto, vallis spacium implere coactus est: nec nisi vicesi-

mo mense, effracta mole prolapsi montis, cum vastitate  
pulcherrimi tractus erupit. At vero longe reductum id  
spatium a mari recedit. Biennium & quod excurrit, me-  
minimus esse, quum per vniuersam Germaniam & alias  
remotissimas a mari regiones tremor & concussio perfen-  
tiretur, quæ satis argumento esse possunt, in alia quavis re,  
quam in aqua aut maris vicinitate, terræ quassatæ causam  
inuestigandam esse. Propius ad verum accedere Plinius  
c. LXXIX videtur, VENTOS, aiens, IN CAUSSA ES-  
SE NON DVBIVM REOR. Hos enim in cauernis ter-  
ræ reconditos luctari, & ad libertatem cum impetu eniti,  
vnde mugitus, tremor & quassatio sentiatur, neque intre-  
miscere terram, nisi sopito mari, cœloque adeo tranquil-  
lo, vt volatus auium non pendeant, subtracto spiritu, qui  
vehat ac sustentet. Quæ si ita sunt, vt multi adfirmant;  
in quæstionem vel admirationem venit, quænam vis tanta  
vsquam fit, vt ventos a mari & aere in subterraneas specus  
reuocet; quæ non facile apparet, nisi quem Aeolum cum  
poetis fingas, qui

luctantes ventos, tempestatesque sonoras  
imperio premat, ac vinculis & carcere frenet.

Ego malim non reuocari ventos, verum non emitti, quum  
manifestum sit, ventorum impetum ab exhalationibus esse,  
quarum exitus si quando obstruatur, foris tranquillitatem  
oportet fieri, intus autem tumultum concitari, qui in mo-  
tum, tremorem ac concussionem erumpat: non secus ac  
impeditæ corporis nostri deiectiones multum molestia-  
rum grauiumque motuum efficiunt. Est & alia causa,  
quæ ab igne subter terram concluso exurgit, quæ quidem  
non diuersa plane ab illa est, quam modo exposuimus, sed  
coniunctissime cum illa cohæret. Spiritum siue aerem  
in

in cauernis inclusum esse, vt vacuum expleatur, non est quod dubitemus: quisi ab igne sulphureo, in terræ visceribus latente, inflammetur, illico fit rarior, maiusque receptaculum deposcit, quod quum non inuenit, aut non tantum, quantum satis est, terrestri mole incubante; vi sua mouet molem, aut succutit, aut inclinat, vt exitum sibi reperiat. Hinc esse quis dubitabit, quod Campania atque Sicilia, præ ceteris prouinciis, & frequentiores & vehementiores concussiones sentiant, quum Aetna & Vesuuus luculentissimo argumento sint, illis regionibus subterraneos ignes contineri, qui dum fortius emicant, nunquam fere sine tremore ac motu sunt. Sub Nerone & Tito Campania, nunquam antea secura mali, indemnis tamen, grauius sensit, corruente tum Pompeii oppido & Herculaneo; sub altero principe inter Vesuuus incendia tremuit Misenum cum Stabiis, & quæ alia illum montem circumiacent. Siciliae casus ex historiis plures adferri possunt: breuitati nostræ vnus sufficiat, quem Thomas Fazellus, Sicularum rerum diligentissimus scriptor, posterioris decadis libro x his ferme verbis recenset: Anno salutis CIO IDXLII quarto idus Decembres, terræ motus ingens totam Siciliam, sed eam præcipue partem, quam Neeti regionem vocant, concussit. Syracusæ namque vrbs tota propemodum quassata est: itemque Catania, Augusta, Neetum, Caltagironum, Militellum atque alia his vicina ad traginta oppida, scissis muris, acclinatisque parietibus sunt labefactata. Panormus ac Drepanum, & plura alia in regione Mazaræ oppida, nonnihil sunt conuulsa. Sed hæc & paria multa nostri, quibus hoc iniunctum est, declamando persequentur, nec tantum naturæ mala aut terræ concussiones recitabunt, verum alia  
etiam

AK  
Tm  
6027

etiam damna, quæ ab tyrannis, vel externis hostibus il-  
lata Siciliae sunt, non negligent, sed ordine singula  
enarrabunt. FRIDERICVS enim Dorl / Mers-  
burgensis, ciuiles clades, hoc est, tyrannorum acerbitates  
& iniurias hostium recensabit: alter IO. HEIN-  
RICVS Baur / Colledanus Thuringus, ruinas insu-  
læ ex terræ motibus exortas pro ingenii viribus, quod  
per quinquennium apud nos excoluit, deplorabit: vter-  
que officii, quo nostri plurimumque conseruationem  
expendamus, non obliuiscetur. Et quod veniam disce-  
dendi a Superioribus impetrarunt, beneficiis, quæ acce-  
pere, laudatis, valere simul omnes, vt moris est, iubebunt.  
His si quid precibus adferre possumus, & frequens &  
splendidum auditorium optamus, & quo par est studio,  
conuocamus: etiam, vt abeuntibus in Academiam sole-  
mus, felices successus studiorum comprecamur.

P. P. Mersburgi V. Calendas Iun.

CIO IOC XCIII.



VDT

nc



Q.K.  
375,  
20.



FATI

GYM  
XXIX, MA

AD BI

CHRIST



IAE

NSI  
RIDIEM

EM

ARIVS,



74 7

